

LECTIONES
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PER
INSTANTEM ANNUM
A
PROFESSORIBVS PUBLICIS
INSTITVENDAE.

QV A S
PRO MORE RECEPTO

INDICAT

C. E. ESCHENBACH,
MED, D, ET PROF, P. O. ACAD, RECTOR,



ROSTOCHII
LITTERIS ADLERIANIS.

ACADEMY APOSTOLICUS

1000



FACULTAS THEOLOGICA.

JOACHIM HARTMANN, *Consist. Duc. Consil. Phil. et SS. Theol. D. hujusque P. P. O. Fac. Theol. Senior et Decanus, et ad aed. Div. Nic. Pastor, Deo Ter Optimo Terque Maximo vitam viresque clementissime suppeditante praelecturus est*

I. Per instans Semestre aestivum

1. *Collegium Historiae Ecclesiasticae V. T. secundum Compendium Gothanum, in cujus quidem explicatione jam versatur, idemque ad finem perducturus est, hora IX — X. explicando, quae facta sunt inde a captivitate Babylonica ad usque Solymorum factam per Titum everfionem.*
2. *Collegium, quo Encyclopediam Theologicam traditurus est, secundum brevissimum ejus Schema, quod cum Auditoribus suis communicaturus est, hora X — XI.*
3. *Collegium Exegetico-Biblicum in Epistolam Div. Pauli ad Corinthios posteriorem eadem methodo, qua usus est in priori Epistola enodanda, hora XI — XII.*

) (2

II, Per

II. Per subsequens semestre brumale

1. *Collegium Historiae Ecclesiasticae V. T. secundum Compendium Gothanum*, enumeraturus facta inde a Condito Mundo ad usque captivitatem Babylonicam, hora IX — X.
2. *Collegium Encyclopediae Theologicae* continuaturus est hora X — XI.
3. *Collegium Exegetico-Biblicum in Epistolam Div. Pauli ad Romanos*, eadem superius jam indicata methodo, praemissa curatori textus divisione, omnia et singula ejus momenta vberime expositurus, hora XI — XII.

Nec deerit iis, qui vel *Exegeticae* praecepta, vel *Homiletica*, vel *Collegia Pastoralia*, vel *Examinatoria*, vel *Disputatoria* desideraverint.

IOACHIMVS HENRICVS PRIES, *Theol. Prof. Ord. et ad aedem Sp. S. Pastor*, per instans semestre aestivum hora VIII — IX. matutina *Theologiam Dogmaticam* secundum *Compendium SEILERIANVM* trader, hora X — XI. *Prophetas minores* exponet, hora II — III. pomeridiana *Historiam ecclesiasticam* inde a tempore purgatorum sacrorum enarrabit, et hora IV — V. *Epistolas N. T.* ita dictas *Catholicas* interpretabitur.

Per hyemem in *Theologia Dogmatica* perget, et *Theologiam Symbolicam* docebit cum *Hermeneutica sacra*.

FACVL

FACULTAS IURIDICA.

D. WALTER VINCENT WIESE, P. P. O.
per instans semestre aestivum

Hora 9 — 10. *institutiones* juris civilis reiterabit, examinando, quae jam edocuit in semestri praeterlapso juxta filum **HEINECCII** ab **HOEPFNERO** editi;

Hora 11 — 12. in diebus a negotiis curiae publicis vacantibus tradet *jus feudale* duce **BOEHMERO** in principiis juris feudalibus.

Hora 4 — 5. continuabit *practicum elaboratorium et disputatorium*.

Per semestre brumale autem iisdem jam nominatis horis tam *pandectas*, quam *jus canonicum* aut *germanicum* studiosae legum juventuti praeleger. Initium horum praelectionum e valvis notificabit publicis.

D. IO. CHRIST. ESCHENBACH, per instans semestre aestivum hora pomeridiana II — III. **HEINECCII** compendium *Institutionum* ex editione **HOEPFNERI** explicabit, et hora III — IV. *Ius Criminale* secundum compendium **MEISTERIANVM** tradet. Subsequenti autem semestri hiberno hora II — III. Collegium *Pandectale*, ductu compendii **HELLFELDIANI** inchoabit, intra anni spatium finiendum, et hora III — IV. in **HOFACKERI** *Institutiones Iuris Romani* commentabitur. Iis quoque, qui aliam iuris privati partem exponendam optabunt, operam suam pollicetur.

FACVL-



FACULTAS MEDICA.

C. E. ESCHENBACH, in docenda *Chirurgia* perget, quam durante hyeme auditoribus explicavit. Praetereaque et generalem et specialem *Pathologiam*, Compendio duce proprio, tradet durante aestate. In utroque collegio adhuc, prouti suevit hactenus, momenta quaedam *Anatomica* atque *Physiologica* simul pertractabit, occasione data; nec non, quaecunque ad dignoscenda, componenda, praescribenda *medicamenta*, tam externa, quam interna, spectant, interpolabit. *Casus* denique medicos, chirurgicos pariter ac pathologicos, resolvendos proponet. Nec operam denegabit suam, reliquarum medicinae partium unam vel alteram praelegendam cupientibus.

FACULTAS PHILOSOPHICA.

HENRICVS VALENTINVS BECKER, *Phil. Prof. O. et ad Aed. Iac. Pastor*, hora IX. ad X. *Physicae* praecepta docebit et experimentis confirmabit, et hora XI. ad XII. *Theologiam moralem* secundum compendium S. R. LESS interpretabitur. A tempore Michaelis *Mathesin puram*, *Logicam* et *Metaphysicam*, atque *Ius Naturae et Gentium* ad ductum satis cognitorum explicabit librorum, quibus Viri magni nominis, KAESTNER, FEDER atque DARIES has tradiderunt scientias. Scholas simul continuabit priuatissimas, nec eas denegabit desideraturis.

HER-

HERMANNVS IACOBVS LASIVS, *Graecae Literaturae Professor P. O.*, aestiuo semestri I.) tradet praecepta *Logices*, duce CORVINO; II.) BAYMGARTEN *Metaphysicam* explicabit.

Semestri vero hiberno expositurus est *Sophoclis*, celeberrimi Graecorum Tragici Scriptoris, *Philoxetem* et *Euripidis*, *Hecubam*, *Medeam* et *Iphigeniam in Aulide*, quas graecas *Tragoedias* S. R. NIEMEYER, Halae MDCCLXXXI. in lucem edidit. Paratusque est ad alias *Acroases*, quibus Studiosae Iuuentuti inferuire possit.

D. IACOBVS FRIDERICVS ROENNBERG, *Moral. Prof. P. O.* volente Deo, per instans semestre aestiuum Hora VII—VIII. Perillustr. PÜTTERI *Encyclopediam et Methodologiam Iuris* enucleabit.

Hora VIII—IX. *Ius Naturae*, secundum principia DARIESIANA, docebit.

Hora XI—XII. *Ius criminale*, praecunte beat. MEISTERO, pertractabit.

Durante semestri hiemali autem scire cupidus *Ius sociale*, *Ius publicum romano-germanicum*, et *Oratoriae principia* explanabit.

GVSTAV SCHADELOOCK, *Philosophiae Doctor et Prof. P. O.*, praeter alios labores priuatissime suscipiendos per aestatem *Mathesin adplicatam* continuabit, atque nunc finitis mechanicis scientiis *opticas* tradet, hoc est, *Opticam* in specie sic dictam, *Perspectiuam*, *Catoptricam* et *Dioptricam*, hora quidem ante meridiem XI—XII. Explicabit insuper
hora

hora maturina VIII—IX. *Mathesin puram secundum SEGNERI
Anfangsgründe der Arithmetik und Geometrie.* Tempore hiber-
no iterum *Logicam et Metaphysicam* exponere constituit, hanc
praeunte BAVMGARTEN illam secundum CORVINI institu-
tiones. Nec deerit in aliis tam philosophicis quam mathe-
maticis scientiis, si vacat, auditorum desideriis.

P. P.

DIE VII. APRILIS 1784.

